

communiter DD. tenet etiam Azo in *Summa*, *Cod. ad leg. Juliam de adulter. fin. col. num. 25.* Odoif. in *leg. Una*, *Cod. Si quis eam cuius tutor fuerit corruerit*, Host. in *Summa de adulter. column. 5.* vers. *Et qualiter*, Angel. de *Malefic. in part. chemai adulterato col. 15.* vers. *Quero qua sit pena stupri*, Paulus Grillandus in *tractatu de Penis omnifariam coitus*, 2. *quæst. princip. pen. column. & 3. quæst. num. 4.* Bonifac. in *tractatu Malefic. fol. 5. in rubr. de Adulterio pro qua communi sententia est hodiè text. de iure novo Authent. in Authent. ut non luxurientur contra naturam collat. 6.* ubi apertè imponitur pena mortis: ibi dum dicit, & *ultimis subdere suppliciis*, & ibi notat Gloss. ordin. Bartol. Angel. de Perus. Jacob. de Belloviso, & communiter alii DD. & in expresso idem hodiè disponit *lex 2. tit. 21. part. 7. & leg. 2. tit. 9. lib. 4. Foro ll.* imò hodiè de iure novissimo ista pena mortis est qualificata: nam imponitur pena ignis, & sic delinquentes concremantur, & omnia eorum bona ipso facto confiscantur: ita disponit *pragmatica hujus regni 85. fol. 80. lib. Pragmatic.*

33 Et adde quòd idem est si vir habet accessum ad uxorem propriam, vel ad aliam quamlibet mulierem per vas exterius contra naturam: quia ambo puniuntur prædicta pena: ita apertè probant prædicta jura, & eorum ratio: & in expresso ita tenet solus Jacobus Butric. in *dist. leg. Cum vir, Cod. ad leg. Jul. de adulter.* Bertachinus in *parte Sodomita.* Bonifacius in *suo tractatu Malefic. in rubr. de raptoribus, column. 2. in fin. Cardia. in Clement. 1. de consang. & affinit. q. 13.* Philippus Decius in *Authent. si qua mulier. Cod. de secund. nupt. 4. col. num. 9.* pro qua sententia & conclusione facit textus in *cap. Adulterii 32. quæst. 7.* ibi, *sed omnium horum est pessimum quod contra naturam fit: ut si vir membro mulieris non ad hoc concessio voluerit uti*, text. in *cap. Usus eadem causa, & quæstione*, cuius verba sunt: *Usus naturalis & licitus est sicut in conjugio, & illicitus sicut in adulterio: contra naturam verò semper illicitus, & proculdubio flagitiosior atque turpior, quem Sanctus Apostolus & in masculis & in feminis arguebat: & istum casum vidi de facto in oppido de Talavera, ubi quidam advena insecutus ab uxore, quia ibi secundo nupsit, captus fuit: & talis uxor accusavit ipsum quod nedum bis nupsit, sed etiam cum ea habuit accessum contra naturam per vas exterius ipsa invita & resistente: & tandem ipse confessus est delictum, & fuit combustus, & concrematus.*

34 Et idem est si aliqua femina agit tamquam masculus cum alia femina: quia ambæ dicuntur committere crimen Sodomie contra naturam, &

debent puniri prædicta pena: quia hoc casu militant prædicta jura & eorum ratio, & in expresso ita tenet Glossa singularis in *iure in leg. Fædissima, Codice ad leg. Jul. de adult. in glossa 1.* ibi dum dicit, *alii dicunt loqui, cum femina agit ut vir, sicut è contra vir ut femina infra, eadem leg. Cum vir, & illam Glos. notat & commendat ibi solus Salicet. idem Salicet. in dist. leg. Cum vir, Angel. de Aretin. in tract. Malefic. in part. chemai adulter. col. 15.* vers. *Quero qua sit pena stupri*, Philippus Decius in *Authentic. Si qua mulier, Codic. de secundis nuptiis 4. column. num. 9.* tenet etiam Apostolus Paul. ad Roman. *cap. 1. in fin. & expressè Sanct. Thom. 2. 2. q. 154. art. 11.* Quod tamen dupliciter declaro. Primo modo si femina agit cum alia femina mediante aliquo instrumento materiali: & relatum est mihi, quòd iste casus jam contigit de facto in quibusdam monialibus quæ fuerunt combustæ. Ex quo videtur inferendum quòd eadem ratione; imò à fortiori, si masculus habeat accessum ad feminam mediante aliquo instrumento materiali, videatur committere illud nefandum crimen contra naturam & patiatur eandem penam: ita probatur ex superiori: & jam iste casus contigit de facto in hac civitate Salmanticensi, ubi maritus quidam frigidus & impotens ad cognoscendum carnaliter uxorem, intentavit eam corrumpere mediante quodam ligno ad hoc per eum fabricato, & ipsa clamavit & supervenerunt vicini, & captus fuit per iudicem, & iudex fuit recusatus, & causa mihi commissa tamquam assessori: & fuit mihi maximum dubium, & certè si delictum esset consummatum, fortè imponeretur sibi pena mortis: sed cum delictum fuit attentatum, fuit imposita pena arbitraria flagellorum cum illo instrumento ligneo in colo, & pena exilii temporalis, argumento communis opinionis Doctorum, in *leg. Si quis non dicam rapere, Codice de Episcop. & Cleric. & in leg. Is qui cum telo, Codice ad legem Cornel. de siccar.* ubi habetur, quòd in atrocioribus delictis effectus & conatus punitur pena arbitraria: & similiter est mihi relatum, quòd istud contigit in civitate Cordubæ: nam maritus primo die nuptiarum credens se impotentem, simili modo voluit uxorem corrumpere, & tandem ipsa clamavit & ipse fugit.

Secundò modò si femina agit cum alia femina sine aliquo instrumento: nam secundum medicos & naturalistas, femina inter se coire possunt delectando, non generando: ut melius quam alius declarat Nicol. Lus. Florentin. in *serm. 6. tractatu 114. propè finem*, ubi dicit ista verba, & dicit Avicenna, *quod mulier & mulier sibi invicem commiscentes suscipiunt semen supra semen, &*

de-

*delectantur potest enim mulier suscipere semen ne dum à viro, sed etiam ab alia muliere: non quidem generativum, sed delectationis inductivum.*

Sed ego dicerem quòd in primo casu nefando procederet prædicta Glossa & communis opinio, scilicet quando femina agit cum alia femina mediante aliquo instrumento: sed in secundo casu quando femina agit cum alia femina sine aliquo instrumento, videtur quòd puniatur pena arbitraria, & recolo quòd jam super isto casu fui consultus à quodam iudice cum haberet de facto, & nolui consulere: postea audivi à quodam iudice fide digno hujus regni, quòd dum esset iudex in civitate Granata contigit punctualiter iste casus, & tandem mulieres delinquentes fuerunt condemnatæ pena flagellorum & galearum, & sententia fuit confirmata per Auditores regio illius civitatis.

Et idem est si femina haberet accessum cum viro tamquam agens: puta si ipsa ascendit supra virum: ita etiam expressè videtur tenere Glossa rectè intellecta, in *dist. leg. Fædissimam*, dum dicit, *alii dicunt loqui, cum femina agit ut vir, sicut è contra: & in terminis ita reperio quòd uno verbo tenet solus Angelus de Maleficiis, column. 15.* vers. *Quero quando dicatur committi stuprum*, & ibi ejus additionator: sed certè hoc casu etiam non auderem imponere penam ordinariam, cum non reperiat in iure decisum: unde æquius & iustius esset tantum penam arbitrariam imponere.

Item adde quòd in isto nefando & detestabili crimine & delicto contra naturam, punitur affectus, & attentatus, licet actus non sit perfectus nec consummatus, ita disponit prædicta *pragmatica 85. libr. Pragmaticarum.* Ex quo inferitur quòd licet in delictis etiam gravissimis non puniatur affectus & voluntas pena ordinaria, nec attentatus, saltem de communi consuetudine, ut in *leg. Si quis, non dicam rapere, Codice de Episcopis, & Clericis*, tamen in isto casu & delicto nefando contra naturam bene punitur solus attentatus pena ordinaria, sicut si actus esset consummatus. Ex quo necessariò quæro & dubito, si quis habet accessum ad alium non per vas exterius, sed inter crura vel in alia parte corporis, vel manibus abutendo, & semen emittendo, an dicatur ex hoc commissum peccatum contra naturam, & imponatur ejus pena? Et certè videretur quòd non, primò, quia sicut naturalis accessus est cum muliere per vas consuetum, ita cum homine per vas exterius: ita probant prædicta jura, maxime textus in *dist. leg. Cum vir*, ibi dum dicit, *ubi sexus perdidit locum.* Secundò quia quando delictum requirit certam formam & qualitatem, illa deficiente non est delictum:

unde hoc casu tantum puniretur pena arbitraria & extraordinaria: & in terminis ita tenet Angelus de Maleficiis, in *parte chemai adulterato*, vers. *Quero qua sit pena stupri.* Nec obstat prædicta *pragmatica hujus regni*, quæ habet quòd ex solo attentatu, licet delictum non consummatur, punitur quis pena ordinaria: quia debet intelligi quando attentatus & præparatio hujus nefandi criminis fieret per vas exterius, non verò per alias partes corporis, & ita teneo & concludo.

Decimò principaliter est punibilis accessus cum animali: nam si aliquis homo habeat accessum ad aliquod animal, puta ad equam, vaccam, vel ad aliud animal: vel aliqua mulier habeat accessum ad aliquod animal, & patitur se ab eo cognosci, committit nefandum crimen contra naturam, quòd etiam vocatur *bestiale*, & punitur pena mortis, textus est singularis in *iure, in cap. Mulier 15. quæst. 1.* cuius verba sunt: *Mulier qua accesserit ad omne pecus, & vult ascendit ab eo, interficietur mulierem, & pecus morte moriatur: rei enim sunt;* & ibi ad hoc notat & commendat Archid. & communiter DD. & illum textum ad hoc notat etiam & commendat Imola in *leg. Defuncto, 1. column. ff. de Publicis iudic. Roman. & communiter moderni in leg. 2. Cod. Qui testam. facere possunt*, idem Romanus in *leg. Si viro, 5. de Viro soluto matrimonio 46. fallen. num. 78.* Alexand. in *leg. ex facto de vulgar. & pupillar. 9. col. num. 35.* & ibi communiter moderni Hippolyt. in *leg. 1. Cod. ad leg. Cornel. de Siccar. 6. col. num. 60.* & ista pena probatur in *Sacra Scriptura. Exod. cap. 22.* ubi dicitur: *Qui coierit cum jumento, morte moriatur.* Item etiam *Levitici cap. 20.* ubi dicitur: *Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite: mulier qua succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo,* & idem disponit hodiè textus in *leg. 2. in fine titul. 21. partit. 7.* sed dubium est an hoc casu habeat locum *pragmatica hujus regni supra allegata*, quæ ponit delictum contra naturam? Et certe credo quòd sic, cum propriè istud sit delictum.

Advertendum tamen quòd animal etiam interficitur, ne duret memoria illius criminis: sed practica hujus regni non videtur iudicialis, in quantum iudices per sententiam jubent suspendi animal; sed tantum debent interficere, non tamen suspendere: & ista est intentio prædictorum iurium: sed laudabilis est practica propter immunitatem criminis, & propter publicum exemplum. Et ex superioribus infero, quòd si quis habet accessum ad quamlibet aliam speciem vel materiam non aptam nec determinatam à natura ad coitum & generationem, secundum propriam

spe-

speciem: committit delictum & crimen contra naturam: & jam relatum est mihi a fide dignis quod contigit & visum est aliquas personas fecisse foramen in terra, & ibi coire & emittere semen, ac si cum aliqua femina coirent. Sed an hoc casu debeat imponi poena mortis, de jure communi, & hodie poena qualificata pragmatica, dubito, & teneo quod non: cum lege non caveatur, nec reperitur tale delictum punitum; sed iudex recte posset imponere poenam arbitriam, attenta qualitate facti & personarum.

36 Undecimo principaliter est punibilis accessus commissus per vim: nam si quis per vim rapuerit aliquam honestam mulierem, virginem, viduam, nuptam, vel religiosam, & habuerit accessum ad eam punitur poena mortis, & omnia bona ejus applicantur mulieri raptæ: textus est capitalis & expressus in *leg. una, Cod. de Raptu virginum*, & ibi Glossa ordinaria, Azo in *Summa*, Odofred. Cinus, Jacobus, Butricarius, Bartol. Baldus, Angelus, Salycet. & communiter DD. textus in *leg. Raptores, Cod. de Episcopis, & Clericis*, & ibi Glossa ordinaria & communiter DD. textus in *§. Item lex Julia, de vi*, vers. *Sin autem, Instit. de publicis judic.* text. in *leg. 3. tit. 20. part. 7. text. in leg. 1. & 2. tit. 10. lib. 4. foro II.* & si talis violentia fiat in cremo, vel fiat in aliqua civitate vel oppido, & cum muliere rapta fugiat delinquens in eremum, est casus de Hermandad, & puniri debet poena saggitæ, text. est in *leg. 2. in legibus de la Hermandad*; & ista eadem poena habet locum in eo qui præstitit auxilium & favorem, ut hoc delictum committeretur, ita expressè dicunt & disponunt prædicta jura.

37 Item etiam habet locum in femina rapiente virum, licet hoc rarò contingat: ita tenet Glos. singularis & unica in *dicta leg. unica, Codice de Raptu virginum* in verb. *Sponsam*, quam ad hoc dicit singularem & unicam Angelus de Perus. ibi in fine dicens quod semel vidit in civitate Florentiæ quamdam meretricem comburi ex eo quod per vim rapuerat quemdam pulchrum puerum, tenet etiam Bald. ibi *col. fin. quæst. penult.* & ibi Hippolyt. *col. 36. num. 233.* ubi dicit communem opinionem, & illam etiam Glossam reputat singularem: Petrus de Verna in *Additionibus Jacob. Butricar. in leg. Raptores, Codic. de Episcopis & Clericis, penult. col. in med.* pro qua Glossa & ejus sententia facit expressè textus in *dict. leg. Una*, vers. *Penas autem*, ibi, *sive masculi, sive femina sint*, quem ad hoc allegat ibi Bald. sicut ille textus loquatur in auxilium vel favorem præstantem, quod puniatur, modo sit masculus, modo femina, a fortiori habebit locum in ea quæ principaliter delinquit: & illam Glossam ad hoc

reputat notabilem Hippolyt. in *leg. Si quis viduam*, ff. *de Quæstion. col. 2. num. 6.* ubi plura cumulat in ejus confirmationem. Et istam dicit communem opinionem Paul. Grillan. in *tractatu de Penis omnifariam coitus quæst. 10. penult. col. numer. 23.*

Item etiam habet locum in sponso rapiente sponsam de futuro: quia non est viro subjecta, & per consequens non habet in eam manus injectionem textus est in *dict. leg. Una, Cod. de Raptu virg. verb. Quibus*, cujus verba sunt; *quibus connumeravimus etiam eum qui saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit*, & ibi tenent communiter DD. & idem disponit prædicta lex *Part. l. 3. tit. 20. part. 7.* In uxore autem vel sponsa de præsentis per vim carnaliter cognita per virum, constat quod non habet locum illa poena nec dispositio prædictarum legum, quia super ea habet manus injectionem ratione subjectionis, ita tenet expressè Bald. in *dict. leg. Una, Codic. de Raptu virginum column. fin. & quæst.* & ibi Cynus *column. 2. num. 4. Salicet. col. 2. num. 13.* Confirmatur, quia ratione subjectionis, & quasi possessionis quam habet maritus in uxorem suam potest eam, ubicumque invenerit, propria autoritate apprehendere: ita probat textus cum ratione in *leg. 1. Cod. Ubi quis decuriali aut cohortali*, & ibi expressè tenet & notat Baldus & alii DD. text. in *leg. Generali, Cod. de Decurionibus lib. 10.* & ibi tenet Pla. *col. 2. in med.* facit etiam text. in *leg. 1. §. fin. & in leg. 2. & 3. ff. de Liber. exhiben.* ubi probatur quod maritus ratione subjectionis & possessionis habet interdictum de uxore deducenda, & patri præfertur in ea retinenda. Dubium tamen est si sponsus rapuit sponsam de præsentis nondum carnaliter cognitam, an teneatur prædicta poena? Et reperio quod Bald. in *dict. leg. Una, Cod. de Raptu virginum, col. fin. & quæst.* distinguit isto modo: aut potest constare & probari quod talis sponsa volebat ingredi religionem & tunc tenetur prædicta poena, tamquam raptor: aut hoc non potest constare nec probari, & nulla poena tenetur: & idem tenet ibi Salicet. *2. col. in fin. num. 13.* Sed adde quod prædicta lex part. simpliciter & indistinctè vult, quod impunè possit quis rapere sponsam de præsentis, nisi eam velis limitare & intelligere modo prædicto; sed certè in practica non recederem a prædicta lege partitæ.

Pro perfecta tamen declaratione horum jurium & materiæ primò quæro, si quis rapuit mulierem causa libidinis, non tamen habuit accessum ad eam, an ex solo raptu teneatur prædicta poena: Et breviter videtur quod non: quia duo copulativè videntur requirere prædictæ leges: primum est raptus, secundum est carnalis copula.

Ita

Ita probat text. in *dict. leg. Una, Cod. de Raptu virginum*, ibi: *Maximè cum virginitas vel castitas corrupta restitui non potest*, & in vers. *Qua multo magis*, ubi dicitur quod a fortiori poena illius legis habet locum in eo qui rapit mulierem nuptam, quia duplici tenetur crimine, scilicet, adulterii & raptus: ergo vult quod utrumque copulativè requiratur: & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Joannes de Anania, in *cap. Cum causa, de Raptoribus, fin. col. & quæst.* ubi dicit quod iste casus contigit de facto in civitate Bononiæ: & ita fuit consultum & judicatum, & fuit quidam liberatus a poena mortis, & alia poena arbitraria imposita: tenet etiam & reputat singulare Cæpola in *Consiliis suis, consil. 56. col. 2. num. 9.* pro hac sententia & conclusione videtur esse *lex 1. tit. 10. lib. 4. Foro legum*, quæ disponit quod si rapiat & habeat accessum, punitur poena mortis: si verò rapiat & non habeat accessum, puniatur poena levi pecuniaria.

Sed his non obstantibus ego teneo contrarium, imò quod talis raptor teneatur poena mortis & prædictarum legum, etiamsi non habuerit accessum ad eam: ita probat textus notabilis, & expressus in *leg. Qui cætu, §. Qui vacantem, ff. ad legem Juliam de Vi*, cujus verba sunt: *Qui vacantem mulierem rapuerit vel nuptam, ultimo supplicio punitur*, text. in *leg. 1. §. fin. ff. de Extraordin. crim.* text. in *cap. de Raptoribus 36. quæst. 1.* imò quod magis est, eo ipso quod attentavit & procuravit rapere, licet non consummavit, tenetur eadem poena, textus est expressus & capitalis in *leg. Si quis non dicam rapere, Codic. de Episcopis & Clericis*, cujus verba sunt: *Si quis non dicam rapere, sed attentare, tantum jungendi causa matrimonii in sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali poena feriat*, & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Baldus in *dict. leg. Raptores, Cod. de Episcopis, & Clericis, column. 2. opposition. 1.* & ibi Albericus, *2. col. vers. 1. casu.* Paulus de Castr. *2. col. numer. 5.* idem Bald. in *dict. leg. Si quis non dicam rapere, Codic. de Episcopis & Clericis, final column. & quæst.* hec obstat si dicatur quod omnis lex quæ punit affectum in delictis non servatur de generali consuetudine si non sequatur effectus, saltem quoad imponendam poenam ordinariam, ut plenè & notabiliter tradit Salicet. in *leg. Is qui cum telo, Cod. ad legem Corneliam de siccar.* quia respondeo quod illud est verum quando non processit quis ad aliquem actum facti: secus tamen est quando processit ad actum facti, ut quia incepit & tentavit rapere, ut in nostro casu & in *dict. leg. Si quis non dicam rapere*, sed certè ista solutio non evacuat difficultatem, quia etiam si quis processit ad aliquem actum facti: non te-

Ita Anton. Gomez. ad Legem Tauri.

netur poena ordinaria delicti, si delictum non consummavit: unde dico quod licet processit quis ad aliquem actum facti vel præparamentum de generali consuetudine, non tenetur poena ordinaria, si delictum non consummavit: & ita intelligatur & limitetur textus in *dict. leg. Is qui cum telo*, & in *dicta leg. Si quis non dicam rapere*. Si verò processit quis ad actum facti & consummavit delictum, tunc bene teneatur: ergo cum in nostro casu ex solo raptu mulieris sit consummatum delictum, licet non sit secuta copula, sequitur quod raptor tenetur poena ordinaria prædictarum legum. Hanc tamen sententiam & conclusionem singularem limita & intellige, quando non est sequuta copula, quia raptor non potuit ex aliqua causa: secus verò si non est sequuta ex eo, quia ipse raptor noluit eam cognoscere, tunc non tenetur prædicta poena ordinaria, sed alia mitiori: & ita possunt concordari istæ diversæ opiniones, & in expresso ita tenet, & concordat Hippolyt. de Marsil. in *dict. leg. unica, Codic. de Raptu virginum, antepenult. column. num. 254.* argumento textus & eorum quæ ibi tradit Bartol. & DD. in *leg. Qui falsam, ff. ad legem Cornel. de Fal.* & argum. Gloss. & eorum quæ ibi traduntur in *dict. leg. Si quis non dicam rapere*, in gloss. 1. de Episcop. & Cleric.

Secundò principaliter quæro, si quis per vim habuit accessum ad aliquam mulierem non amovendo illam de loco ad locum, & sic non interveniente raptu, an teneatur poena mortis, & per consequens poena prædictarum legum? Et videtur quod non, sed mitiori poena debet teneri, scilicet legis Juliiæ de vi, quæ est poena deportationis & publicationis omnium bonorum, si violentia fiat cum armis: si verò fiat sine armis, imponitur poena publicationis tertiiæ partis bonorum: ut in *§. Item lex Julia de Vi, Instit. de publicis judic.* ita probat textus singularis & expressus in *leg. 3. versic. Præterea, ff. ad legem Juliam de vi*, ubi expressè dicit quod ille qui per vim cognoverit aliquam mulierem, punitur poena legis Juliiæ, de vi, cujus verba sunt: *Præterea punitur hujus legis poena, qui puerum vel feminam vel quemquam per vim stupraverit*: confirmatur per textum in *leg. Qui cætu, §. Qui vacantem eodem titul.* ubi eo casu quo quis rapuerit mulierem punitur poena mortis: ergo non interveniente raptu, tantum punitur poena legis Juliiæ, de vi, probat etiam textus in *§. Item lex Julia de vi, versic. Sin autem per vim, Instit. de publicis judic.* ubi expressè dicit textus quod si per vim interveniat raptus mulieris, punitur reus poena prædictæ legis unice, ergo sequitur quod non punitur illa poena si quis per

Qoo

vim

Vim cognoscat mulierem sine raptu: & in expresso, licet non ita bene fundet, istam sententiam & conclusionem tenet originaliter Gandi. Doctor antiquus summæ authoritatis in opere suo *Malefici. in rubric. de multis questionibus dependentibus à statutis 1. column. quæst. 2. princip. versic. Item pone questionem qua mihi Bononia contigit de facto.* Tenet etiam Albericus in *leg. Raptores, Codic. de Episcopis & Clericis, col. 1. & questione, & ibi notabiliter Paulus de Castro 2. col. num. 4. idem Alberic. in leg. unica, Cod. de Raptu virginum final. col. in fin. idem Alber. in 3. part. Statutorum 21. quæst. Joann. de Plat. in §. Sin autem Instituit. de publicis judic. fin. col. & questione, notabiliter Raph. Cuman. in *Consil. suis, cons. 95. incipienti*, Christophorus, Hippolytus de Marsil. in *dict. leg. unic. Codice de Raptu virginum, 4. column. num. 12.**

Sed his non obstantibus ego teneo contrariam sententiam, imò quòd isto casu imponatur pœna mortis, & habeat locum dispositio prædictarum legum. Primò quia hoc casu satis dicitur committi rapina, cum per vim talis mulier fuerit cognita, & militat omnino ratio & dispositio prædictarum legum. Secundò per textum expressum qui hoc apertè probat in §. *Item lex Julia. de Adulteriis, vers. 1. Instituit. de publicis judic.* ubi dicit text. quòd punitur quis pœna stupri, quando habet accessum ad aliquam mulierem, virginem, viduam vel honestam, nulla interveniente vi: dicit ibi Glossa quòd si interveniat vis, punitur pœna prædictæ *legis unica, Cod. de Rapt. virgin. & similium*: ergo apertè dat intelligere quòd non requiratur raptus, sed sufficit violentia: & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Baldus in *leg. Si quis non dicam rapere fin. col. & questione, Cod. de Episcopis & Clericis*, pro qua sententia & conclusione allego expressam *lex partit. 3. tit. 20. part. 7.* ubi expressè dicit textus, quòd si quis rapiat aliquam mulierem honestam, vel eam cognoscat per vim, punitur pœna mortis, & prædictis pœnis: ergo apertè vult quòd non requiratur raptus.

42 Tertiò principaliter quæro, si quis rapuit virginem immaturam nondum viri potentem, & sic minorem duodecim annorum, & eam carnaliter cognovit per vim, an puniatur pœna mortis & aliis pœnis de quibus in prædicta *leg. unic. Cod. de Raptu virginum cum similibus*? & videtur quòd non, sed mitiori pœna: quia cum talis virgo non sit potens ad copulam, non videtur amittere suam virginitatem, nec videtur recipere damnum irreparabile: unde delictum non dicitur consummatum, sed magis attentatum: pro qua sententia & conclusione facit etiam textus in *dict. leg. unic. Cod. de Rapt. virgin. vers. Maxi-*

me, cujus verba sunt: *Maximo cum virginitas vel castitas corrupta restitui non potest*, facit etiam textus notab. in *leg. Si uxor, §. Si minor. ff. ad legem Juliam de Adult.* ubi habetur quòd si mulier minor 12. annorum nupta est alicui viro, & durante minore ætate commisit adulterium, non potest tamquam adultera accusari: & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet originaliter Guillelmus de Cuno, in *leg. Si quis non dicam rapere col. 2. numer. 3. Cod. de Episcopis & Clericis*, ubi dicit, quòd per hoc evasit quemdam à pœna mortis; tenet etiam & sequitur *Palac. Rubeus, in sua repetit. §. 56. fol. 34. col. 2. vers. Facit ad prædicta.* Sed his non obstantibus ego teneo contrariam sententiam, imò quòd talis raptor vel delinquens qui virginem immaturam & nondum viri potentem carnaliter cognovit vel defloravit, teneatur pœna mortis, & aliis pœnis contentis in *dict. leg. una. Cod. de Rapt. virgin.* ac si virgin. maturam & viri potentem deflorasset. Primò per text. notab. in *leg. Si quis aliquid, §. Qui nondum viri potentem, ff. de Pœnis*, ubi habetur quòd licet pro simplici stupro sine vi commisso in aliquam virginem imponatur pœna confiscationis medietatis bonorum, & si delinquens sit vilis persona, imponatur coertio corporalis arbitraria cum relegatione, ut in §. *Item lex Julia de adulteriis, vers. fin. Instituit. de public. judic.* & dixi supra ista repe. tamen illud est verum quando quis corrumpit & defloravit virginem maturam, & viri potentem, & sic majorem 12. annorum, secus verò si corrumpit & defloravit virginem immaturam & nondum viri potentem, nec aptam ad copulam, & sic minorem 12. annorum: quia tunc, nedum punitur pœna ordinaria stupri: sed etiam alia majori & acriori pœna: ergo quando tale delictum est commissum per vim, debet teneri delinquens pœna mortis ordinaria, & aliis pœnis contentis in prædict. *leg. unic. Cod. de Rapt. virgin. cum simil.* text. est notab. & expressus in *dict. §. Qui nondum*, cujus verba sunt: *Qui nondum viri potentes virgines corrumpunt, humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam relegantur, aut in exilium mittuntur*: & ita intelligit illum text. *Faber. in §. Item lex Julia Instituit. de public. jud. in fine*, & ibi *Nicol. de Neapol. Angelus in tract. Matrim. in parte, chemai adulterato, col. 15. vers. Quæro quæ sit pœna stupri.* *Paulus Grillandus in tract. de Pœnis omnifariam coitus quæst. 7. column. 2. num. 6.* & licet *Guill. & prædicti DD.* illum textum pro sua opinione adducunt, tamen decepti sunt: quia non loquitur in stupro commisso per vim, sed sine vi: unde potius est casus apertus pro mea opinione, quam pro sua.

Secundò pro hac sententia & conclusione considero textum notabilem & expressum in *dict. leg. unic. Cod. de Raptu virginum*, ibi, *aut tutoribus vel curatoribus, &c.* ubi disponitur quòd raptor mulieris repertus in flagrante crimine possit occidi à parentibus vel consanguineis, vel etiam à tutoribus vel curatoribus talis mulieris: ergo apertè dat intelligere quòd dispositio illius text. & ejus pœna habet locum in eo qui rapit, vel per vim carnaliter cognovit virginem immaturam, minorem, & nondum viri potentem.

Tertiò facit textus in *dict. leg. Si quis non dicam rapere, Codic. de Episcopis & Clericis*, ubi pro solo attentatu raptus imponitur pœna mortis, licet non sit consummatum delictum: ergo à fortiori imponetur in nostro casu & questione, cum delinquens fecit quod in se erat; & in expresso istam meam sententiam & conclusionem, licet non sic bene fundatam, tenet *Bald. in dict. leg. Si quis non dicam rapere, fin. col. & quæst. Petrus de Vernia in Addition. ad Jacobum Butric. in leg. Raptores, eodem titul. penult. col. vers. Sed quæro aliquis, Nicolaus de Neapol. in §. Item lex Julia, de Adulteriis, 1. col. Instituit. de Publicis judicis.*

43 Quartò principaliter quæro, an raptor qui per vim cognovit aliquam mulierem possit cum ea legitimè contrahere matrimonium, & ex hoc evitare pœnam delicti? In quo articulo breviter & resolutivè dico, quod de jure civili non potest cum ea contrahere matrimonium, nec ex hoc evitabit pœnam: text. est in *dict. leg. una. vers. Nec sit facultas, Codic. de Raptu virgin.* cujus verba sunt: *Nec facultas rapta virgini, vel vidua vel cuilibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere: sed cui parentes voluerint excepto raptore, eam legitimo copulent matrimonio*: textus in *authentic. de Raptis mulieribus qua raptoribus nubunt. collat. 9.* Hodiè tamen de jure canonico cui est standum in utroque foro, bene valet inter eos matrimonium: textus est in *capitulo tria, & in cap. Denique 36. quæst. 2.* textus capitalis & expressus in *cap. final. de Raptoribus*, cujus verba sunt: *Accedens ad Apostolicam Sedem, & infra: rapta puella legitimè contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat post modum in consensum, & quod ante displicuit, tandem incipiat complacere dummodo ad contrahendum legitima sint persona*, & ibi *Glossa ordinaria, Innocentius, Hostiensis, Joann. Andr. Abbas & communiter DD.*

Dubium tamen est necessarium & satis quotidianum, an per tale matrimonium excusetur raptor à pœna mortis, & ab aliis pœnis de quibus in præd. *leg. unic. Cod. de Rapt. virgin. cum similibus*? Et videtur quòd sic: quia in consequen-

tiam videtur dispensatum in pœna, quia aliter parum prodesset validitas matrimonium.

Item etiam argumento text. cum materia in *cap. 1. & 2. de Adulter.* ubi habetur, quòd ille qui stupraverit virginem, cogitur eam ducere vel dotare: & ex hoc evitat pœnam legalem, ut supra dixi & conclusi. Et in expresso ex isto fundamento & ratione istam sententiam & conclusionem tenet *Joannes Calderinus in dict. cap. fin. extra de Raptoribus, Augustinus de Arimino in dict. Additionibus ad Angelum de Maleficiis, in parte, chemai adulterato, col. 17. versic. An autem per consequens matrimonium, &c.* & dicit se habuisse in questione de facto, & ita obtinuisse, quod certè est summè notandum in practica: ex ante eum tenet etiam *Paulus de Castro in leg. Raptores, Codic. de Episcopis & Clericis, column. 2.* ubi dicit se ita consuluisse: & per ejus consilium fuit quidam raptor liberatus à pœna mortis in civitate Mantuæ & ita ego judicavi & practica in hac civitate Salmanticensi, dum essem assessor cum iudice ordinario recusato.

Sed his non obstantibus in puncto juris ego teneo contrariam sententiam, imò quòd per matrimonium non excusetur à pœna ordinaria: quia considero quòd licet matrimonium valeat inter eos de jure Canonico cui est standum, tamen per hoc non disposuit aliquid jus Canonicum, nec potuit disponere in terris imperii circa pœnam ipsius delicti impositam de jure civili: unde meritò teneretur raptor: nec obstat text. cum materia in *leg. 1. & 2. de Adulteriis*, quia posito quòd ejus dispositio servetur etiam in terris imperii, tamen loquitur & procedit in stupro, & delicto commisso sine vi: in quo videtur decens pœna imposita per illa jura canonica: secus tamen est in delicto atrocissimo raptus; quia in eo illa jura non loquuntur, nec esset condigna pœna: & in expresso istam sententiam & conclusionem videtur tenere *Cæpola Consil. 52. finali column. num. 17.* Fateor tamen quòd hodiè in nostro regno procederet prædicta opinio *Joannis Calderin. & sequacium, attenta leg. 22. titul. 1. partit. 7.* quæ secundum communem errorem & intellectum disponit, quòd facta pace & concordia inter partes non imponatur pœna corporalis pro delicto: unde stante illa Lege posset procedere & practicari prædicta opinio in nostro regno, aliter verò nullo modo posset de jure procedere.

44 Circa quòd tamen utiliter & necessariò quæro, si quis rapuit aliquam mulierem, vel sine raptu inventus sit cum ea taliter quòd contra eum probatur stuprum, an evitabit pœnam, si uterque eorum dicit & confitetur se antea contraxisse matrimonium? Et breviter dicendum est quòd